

MIFEPL

J 6 4 3

+

Sammelband

U M B

57




^{3.} PASTOR ²
CONFOR-
MATVS ²⁹⁶

AB
HENRICO BVL-
LINGERO:

OFFICIUM BONI PASTORIS
*ita ob oculos ponens, vt simul contineat
totius Christianae Religionis Ele-*
menta.

Productus in lucem

A
IOHAN. HENRICO
ALSTEDIO.



PROSTAT
Apud Antonium Hummum
Francofurt.

M. DC. XIII.

Verm. g. k. 3. 5. 562



IOHAN-HEN- RICVS ALSTE-

DIVS Lectori Theolo-
go, S. D.



V A M Augustum
sit Pastoris nomen in
Theologia, non nisi ij
norunt, qui intelli-
gunt illud Christi ad Petrū: Pasce
oves meas. Sed paucissimi sunt,
qui illud Christi Servatoris dictū
probe intelligunt. Non loquitur
Servator de dominio vel potius
tyrānide aliqua ἐξ πολιτείας, ἀλλὰ
qua gladius secularis cum spiritali
cōfunditur: sed de officio Pastoralī,

A 2 . quod

P R Æ F A T I O.

quod consistit in gubernatione
ouium, quæ est doctrinalis, exem-
plaris, & iudicialis: quibus tribus
verbis complexus mihi videor
totum illud quantumcunque est,
quod certe maximum est, Pastoris
officium. Primam officii huius
partem bene, more nempe suo,
persecutus est Bullingerus vir pius
& doctus, cuius meditationes an-
te aliquot annos parenti meo, (quæ
DEVS longum sospitet,) domo
cesserunt. Eas nunc in lucem pro-
traho, sed iis, qui lucem amant.
Tenebriones enim nil moror,
Vale, Lector, & nobis faue.

P A.

6 OFFICIUM

fere hoc vnum agit in Epist.
ad Tim. & Titum.

*Estne audiendus Pastor si vita do-
ctrina per omnia non re-
spondeat?*

*Audiendus
ne sit Pastor
impius in
vita.*

Est sane, si modo sit pura,
Christus hoc docet Matth.
23. Conandum est tamen aliis
Pastoribus & in primis etiam
magistratibus, vt Pastor talis
vel corrigat mores corruptos
vel deponatur.

*Officia Pa-
storis. Quod ergo officium Pastoris esse
iudices?*

Præcipuum eius munus est
docere, omnis generis homi-
nes. Ierem. 1. in omni doctri-
narum genere. I. Corinth.
14.

Eius-

Eiusdem est cœtus sanctos
 ad preces colligere. 1. Timot.
 2. Denique administrare Sa-
 cramenta. Matth. 2. 8. 1. Cor.
 11. *Visitare* quoque infirmos.
 Iacob. 5. & *Catechizare* pue-
 ros.

DE DOCTRINA
 & Scriptura.

*Vnde petitur doctrina
 Sancta?*

*Vnde petitur
 doctrina.*

EX Scriptura Canonica v-
 triusque Testamenti.

Quare Canon dicitur?

*Cur dicitur
 Canonica?*

Quia Canon regula, vel
 iudicium fuit ab initio in Ec-
 clesia de libris Authenticis
 A 4. veris

veris atq; supposititiis, in qua
quidem regula vt veri hi con-
tinentur.

*Scriptura
quid.*

*Quid est Scriptura Canonica vel
Sancta?*

Est inspiratio S. Spiritus
per Prophetas & Apostolos,
scripta de Testamento vel
fædere Dei ad salutem homi-
num. 2. Timoth. 3.

*Distinctio
scriptura.*

*Quomodo distinguitur Canonica
Scriptura generali di-
stinctione?*

In libros V. & N. Testa-
menti.

*Testamen-
tum.*

*Quare hi libri vocantur Testa-
mentum?*

Quia scripti sunt de Te-
stamen-

PASTORIS. 9

stamento Dei, & testifican-
tur nobis de voluntate Do-
mini.

*Quomodo distinguuntur libri
Vet. Testamenti
& N.*

Hanc distinctionem vide
alibi.

*Qui nam sunt libri? Ecclesiastici, Ecclesiastici
qui Apocryphi. libri.*

Qui alibi expositi sunt.

*Quæ est illorum autho-
ritas?*

III.

Quod legi quidem in Ec-
clesia possunt, sed non pro-
ferri ad probationem vel im-
probationem dogmatum
controuer-
sum.

*Authoritas
Apocrypho-
rum.*

A S S C O.

IO OFFICIUM
SCOPVS SCRIPTURÆ.

*Præcipui
Loci Scri-
ptura.*

*Qui sunt potissimi Loci, quos tra-
ctat Scriptura?*

DEVS, Homo, Peccatum,
promissio, Lex, Christus,
Iustificatio, & quæ cum hac
cohærent Fides, Euange-
lium, Remissio peccatorum,
pœnitentia, bona opera, Sa-
cramenta, Ecclesia Magi-
stratus, Coniugium, vita &
mors.

DE EXPONENDA
Scriptura.

*Est ne interpretanda Scri-
ptura?*

EST

EST, nam hoc docent nos
 exempla Saluatoris & A-
 postolorum. Luc. 4. 24. Act.
 2. 8. 6.

*Quomodo interpretanda Scri-
 ptura?*

*Scriptura
 per scriptu-
 ram explen-
 danda.*

Ex semetipsa, consideran-
 do proprietatem linguæ, cir-
 cumstantias, præcedentia,
 consequentia, loca similia &
 dissimilia, illustriora quoque
 adducendo, & obseruata re-
 gula fidei & charitatis, obla-
 tis item Deo precibus & Spi-
 ritu S.

*Sensus loci
 peti debet
 ex antece-
 dentibus &
 consequen-
 tibus.*

*Locus unus
 intelligendus
 est, secun-
 dum multa
 non contra-*

D E D E O.

*Quid sentis de Deo, aut quid est
 Deus?*

IV.

A 6 IM-

*Deus est
summum
bonum &
causa o-
mnis boni.*

IMMENSUS, non potest
vlla concludi aut circum-
scribi definitione. Ex attri-
butis & proprietatibus nomi-
nibusque potest aliqua colli-
gi descriptio. Est aeterna es-
sentia, & summum bonum
& reliqua quæ ipse sibi tri-
buit Exod. 34.

Et Christus dicit, Deus
est Spiritus, Deus est pater
& quidem misericordiarum,
2. Corin. 1. Collaudatus sit
Deus pater I. C. pater mise-
ricordiarum, Deus consola-
tionis.

Scriptura alioquin tradit
ipsum esse vnum substantia,
personis trinum, insepara-
bilem, & indiuisam quidem
sub-

substantiam, sed distinctam
tamen proprietatibus, vel
personis Alia est persona pa-
tris, alia Filii, alia Spiritus
S. Sed pater non est alius
Deus, nec Filius, nec Spiri-
tus Sanctus. Sed Pater, Filius
& Spiritus sunt vnus & idem
Deus. Pater tamen, vt Pater
ab æterno generat Filium,
Filius ab æterno sine initio
generatur. Pater mittit Fi-
lium, Filius mittitur, Pater
non incarnatur, Filius incar-
natur, Spiritus S. procedit
ab vtroque.

Da Testimonia de vnitate

DE I?

Deut. 6. Is. 44. & 45. Re-
petitur Lex Marci 12.

A 7 · Da

Da testimonia de distantia personarum & earum proprietate.

Matth. 3. 28. Lucæ 1. Ioh. 14. 15.

Quod est compendium credendorum de beata Trinitate.

Symbolum quod Apostolorum dicitur & quod contextum est in Synodo Nycæna & Constantinopolitana. Disseruerunt de hac causa copiose S. Athanasius, Ambrosius & August. ac apud vetustiores Irenæus & Tertull. contra Praxeam.

Am

*An non satis erat Symbolum
Apostolorum?*

Satis erat sane. Sed quia
hæretici, confingebant alie-
na dogmata quæ videri vo-
lebant Apostolica esse, vo-
cabula proponenda erant &
sententiæ, ex quibus isto-
rum impostura deprehende-
retur.

*Quare regula fidei dicitur
Symbolum?*

Quia vt Symbolo militari
secernuntur & distinguun-
tur milites, sic dignoscuntur
hac regula veri Christiani à
falsis.

Quis

*Quis est Author Symboli Aposto-
lici, an ipsi conscripsere
Apostolici?*

Nulla hoc tradit Scri-
ptura.

*Cur igitur Apostolorum di-
citur?*

Quia ex literis Apostolo-
rum petitum est, & scriptis
eorum probari potest.

Iræneus & Tertull. tradūt
hanc esse viam Apostolo-
rum traditionem.

DE HOMINE.

*Quid tradit de homine Scri-
ptura?*

Homo.
IV.

CONDITUM esse à Deo
& condita esse propter i-
psum

psum omnia, & creaturarum
esse præstantissimam, anima
& corpore constantem.

*Vnde petitum est corpus
hominis.*

Corpus.

Ex terra. Genes. 2.

Vnde est hominis anima?

Anima.

Creata est à Deo, in spira-
taque in faciem hominis
Genes. 2.

Est ne anima pars Dei?

Non est, Deus enim par-
tiri non potest. Ac vetus ille
error est, contra quem scri-
psit Prudentius.

Est ne mortalis anima hominis,

*Anima im-
mortalis.*

ut una cum corpore

intereat?

Non

Non. Matth. 10. Animam
occidere non possunt.

*Vires homi-
nis.*

*Sunt ne vires homini ad bo-
num?*

Non sunt. Nam oportet
regenerari hominem. Iohan.
3. Sed & in primo lapsu tota
hominis virtus ita debilitata
est atque corrupta, ut intelle-
ctus & voluntas hominis ad
malum, non ad bonum va-
leat. Rom. 8.

*An renati
aliquid pos-
sint boni.*

*Qui vero renouati sunt, pos-
sunt ne aliquid
boni?*

Possunt quidem, at non
per semetipsos, sed per Dei
gratiam & Spiritus S. virtu-
tem. Io. 15. 2. Cor. 3. Phil. 2.
Istud

Istud tamen bonū semper infirmatur per infirmitatem remanentem in Sanctis, quā ipsi agnoscunt, & provide non innituntur in illud bonum. Rom. 7. Iob. 9. Sic vero idem illi Sancti puri sunt ex gratia, impuri propter remanentem infirmitatem. Io. 13. 15.

Quis est vetus homo?

Vetus homo.

Totus nondum regeneratus, intellectu, voluntate, dictis & factis corruptus.

Quis est novus?

Totus ille regeneratus ad imaginem Christi, Ephes. 4. Coloss. 3. *Novus homo.*

D E

DE PECCATO.

Quid est Peccatum?

DOCEt hoc non Aca-
demica, sed sancta scri-
ptura.

Roman. 7. Peccatum non
cognoui nisi per legem. Io. 1.
& 3. Qui facit peccatum &
iniquitatem fecit, *ουκ η αιμαρνη*
ιστη η ανομια & peccatum est ini-
quitas, vel quod sit contra le-
gem.

Lex autem Dei est expref-
sio diuinæ voluntatis, quid
velit, aut quid nolit.

Ergo peccatum est corru-
ptio natiua inhærens homini
& quæ est ex hac commotio,
concupiscentia, cogitatio, di-
ctum

ctum & factum pugnans cum lege Dei. Vnde omne, quod est in homine & fit ab homine contra legem Dei, peccatum est.

Quis est ergo author peccati?

Non Deus, sed hominis *Peccati au-*
voluntas corrupta, ac Sathana *thor.*
næ inspiratio, vel impulsus.
Psalm. 5. Iohan. 8. Iac.

Quæ est pœna peccati?

Rom. 7. Stipendium peccati mors est. Iohan. 5. Vade & noli amplius peccare, ne quid deterius tibi accidat. Variæ enim calamitates sunt flagella peccatorum. Deut. 28. Ex. 15. Ier. 15.

Quo-

*Diuisio
peccati.*

*Quomodo distinguitur pec-
catum?*

In Originale & Actuale. Et
hoc rursus in mortale & ve-
niale.

Originale.

*Quid est Originale pecca-
tum?*

Natiua illa corruptio ex
primis illis nostris orta pa-
rentibus à bono auersa, ad
malum vero propensa, pro-
gignens omne malum, &
mortem. Psal. 51. Rom. 5. Eph.
2. August. multa de hoc con-
tra Pelag.

Quid est actuale?

Quod ex natiua corru-
ptione erumpit in cupidita-
tem

tem, cogitationemve, in dictum & factum prauum contra legem.

Quid est mortale.

Mortale.

Quod fit ab incredulis. Io. 8. Si non credideritis, quod ego sum, moriemini in peccatis vestris. Et est peccatum in Spiritum S. quod nunquam remittitur. Marc. 3. 1. Io. 5. Perseuerans videlicet rebellio contra manifestam & agnitam veritatem.

Peccatum in Spiritum S.

Quid est Veniale?

Quod à fidelibus ex infirmitate fit. Io. 5. Qui credit in me, mortem æternam non videbit. Rom. 8. Nulla est cōdemnatio iis, qui insiti sunt Chri-

Veniale.

Christo. Nam vita piorum
perpetua, vel iugis est pœni-
tentia.

DE PROMIS- sione.

Quid est promissio.

*Promissio
quid.*

GRATVITA Dei pollici-
tatio bonorum cum præ-
sentis, tum futuræ vitæ.

Quotuplex est promissio?

*Promissio
duplex.*

Duplex, Rerum videlicet
præsentium, vel terrenarū, vt
sanitatis opum ac honorum,
& cœlestium, vel æternarum,
gratiæ videlicet remissionis
peccatorum & vitæ æter-
næ.

Habue-

*Habueruntne veteres ante
Christum utrasque.*

*Qualis ve-
terum pro-
missio.*

Quidam arbitrantur illas
temporales duntaxat pro-
missiones habuisse, sed ex
Prophetis constat, quod æ-
ternas quoque habuerunt.

*Quod est caput omnium pro-
missionum?*

Christus Servator noster,
cuius linea deducitur per o-
mnia secula à prima promif-
sione Genes. 3. per Seth,
Noah, Sem, Abraham, usque
ad Mariam. Lucæ 2. Matt. I.

*Vtra vero antiquior est & alte-
ram præcessit, Lex an
promissio?*

B Præ-

Præcessit promissio 430.
annos, Gal 3. imo plures.

DE LEGE.

Quid est Lex?

EST doctrina, præscriptū,
præceptum, de eo, quid
faciendum, aut quid omit-
tendum sit.

*Quomodo distinguitur
Lex?*

In Legem diuinam & Hu-
manam, quibus coniungitur
Lex naturæ.

Quid est Lex Natura?

Dictamen cōscientiæ ho-
minis, & directio quædam di-
uinitus hominis seu natura
cor-

cordi indita, monens quid
faciat aut quid omittat.

Quare natura dicitur?

Non quod in hominis na-
tura aliquid insit recti, sed
quod Deus homini velut no-
tiones naturales & principia
Religionis insculpsit; vt qd^r
Paulus ait, Rom. 1. manife-
stum esse gentibus quod de
Deo cognosci possit. Deum
enim reuelasse. Rom. 2. Huc
referunt sententiam, Quod
tibi fieri non vis, alteri ne fe-
ceris. Matth 7.

*Potest ne aliquid boni Natura
sine gratia?*

Non potest quicquam bo-
ni, quoniam natura corrupta
B 2 est.

est. Et natura sumus Filii iræ.
Ephes 2.

Quid est lex diuina?

Expressa Dei voluntas re-
uelata Moyfi & aliis viris Dei,
promulgata vel scripta ab his
de eo, quid homines faciant,
aut omittant.

*Fuit ne Lex Dei in mundo ante
Moysem?*

Fuit, vt claret ex Genesi v-
bi. ædes prohibita. Ge. 4. Sic
furtum, Idololatria, adulte-
rium, &c.

*Quomodo distinguitur Lex
Moyfis.*

In Moralem, Ceremonia-
lem, & Iudicialem.

Quid

Quid est Moralis?

Quæ mores informat,
præscribens formas virtutum
& indicans quantam sancti-
moniam requirat Deus ab
hominibus.

*Moralis Lex ubi potissimum &
per compendium tra-
ditur?*

In Decalago.

*Quomodo dividitur Deca-
logus?*

In 2. tabulas, in primam &
secundam. Prima pertinet ad
Deum & ad cultum eius. 2.
ad homines, præscribens de-
bita officia.

*Quot capita habent hæ ta-
bula?*

Prior 4. Posterior 6.

B

3

Quis

*Quis promulgavit & scripsit
has leges?*

Deus promulgavit ex mō-
te Sinah, Exod. 19. 20. & scri-
psit in lapideas tabulas. Exo.
34. Moses scriptos à se & re-
citatos libros coram populo
apposuit ad arcam in taber-
naculo. Deut. 31.

*Quod est compendium De-
calogi?*

Dilige Dominum super o-
mnia, & proximum vt temet-
ipsum. Lucæ 10 Rom. 13.

*Quæ sunt leges Cerema-
niales?*

Quæ præcipiunt de Cere-
monis & cultibus Dei legiti-
mis.

Quo.

*Quomodo distinguuntur hæ
leges?*

Iuxta locum, tempus, in-
strumenta, res & personas.
Ad locum pertinet taberna-
culum & templum totum,
ad tempus feriæ, vel festa va-
ria. *Ad instrumenta* Arca,
candelabrum, Mésa panum,
Ara holocausti & Thymia-
matis, vestes Sacerdotales.
Ad res, Sacrificia varii ge-
neris in Levitico, consecra-
tiones, purgationes. *Ad per-
sonas* Pontifex, Sacerdotes,
Cantores, Ianitores, & quæ
de his ipsorumque vectigali-
bus traduntur.

*Judiciales
Leges.*

Quæ sunt leges Judiciales?

Quæ iudicia instruunt & formant Rempubl. Quo pertinent leges de magistratu, de iudiciis in foro, de pœnis fontium, de emptione, venditione.

Lex humana.

Quid est Lex humana?

Ab hominibus promulgata. Illæ exoriuntur, vel ex principiis diuinis, quales sunt multorum Imperatorum & Regum, vel magistratum, recte informantes vitam hominum in rebus externis. Hæ bonæ sunt, neque abiiciendæ. Vel oriuntur ex superstitione, prauisque affectibus, ac feruntur de Religione: illæ inuti-

inutiles sunt, ac reiciuntur
in S. S. Matth. 15. 1. Cor. 7. Col.
2. Tit. 1.

*Quis vero est usus omnium le-
gam & finis?*

Convincere nos esse pec-
catores & indigere gratia
Dei. Deinde proponere no-
bis & adumbrare Christum,
cum omnibus suis donis. Po-
stremo formare vitam, quid
faciamus, quid omittamus.

*Potest ne lex Dei impleri à
nobis?*

Non potest nostris imple-
ri viribus. Rom. 8.

*Quomodo impleri dicitur à fide-
libus?*

I Quia Christi impletio
B 5 no-

nostra fit per imputationem.

2 Quia nostra obedientia licet propter infirmitatem in carne remanentem, per se sit imperfecta, grata est tamen Deo, quod in Christo Deo sumus accepti.

*Abrogatio
Legis.*

Abrogata ne est Lex?

Dominus ait, Matth. 5: ne iota quidem Legis casurum.

Cur ergo Apostolus Heb. 8. meminit abrogationis legis?

1 Damnatio legis & maledictio tollitur, per Christum, qui benedicit. Odium item

item legis cadit, dum confer-
tur spontaneus & liberalis
Spiritus. Haftenus abolita
est Lex, id est; legis illius ef-
fectus.

2. Abrogata item dicitur,
quæ per Christum est imple-
ta, & nobis quidem impu-
tatur.

3. Ceremonialia sunt ab-
rogata. Alioquin manet
Decalogus, manent man-
data ad ipsum pertinentia.
Manet lectio Ceremonia-
lium in Ecclesia, & per ty-
pum sunt prædica-
tiones Chri-

sti.

B 6 DE

DE CHRISTO.

*Quid tradit Scriptura de
Christo?*

Christus.

CHRISTI vocabulum si-
gnificat Messiam & un-
ctum. Nomen est officii, per-
sonæ, quæ alias appellatur
Iesus, id est, Saluator. Mat. 1.

Iesus.

Christi. I. *χριστι* uncti, unge-
bantur quondam Prophetæ,
reges & sacerdotes, instru-
menta itē sacra. Unctio *χρισμα*
typus est Spiritus S. & dono-
rum Dei. Christus unctus fuit
plenitudine S. Spiritus, & un-
git fideles suo Spiritu, unde
etiam vocantur Christiani.

χρισμα.

*Christus est
Propheta.*

*Quare Christus est Pro-
pheta?*

Quia

Quia missus nobis est Do-
ctor, Deut. 18. Act. 3.

Quare Sacerdos?

Sacerdos.

Quia intercedit & offert
mediator inter Deum & ho-
mines pro nobis. Heb. 5. 7.
9. 10.

Quare Rex?

Rex.

Quoniam gubernat, libe-
rat & protegit Ecclesiam
suam. Matth. 21.

Cum autem Christus sit media- Mediator.
tor, quibus constat
naturis?

Diuina & humana, ut res
hominum agere posset apud
Deum. Diuinæ naturæ eius
testimonia sunt Io. 1. 5. 6. 8. 9.

B 7 10. Hu-

10. Humanæ naturæ Ioh. 1. 1.
Ioan. 4. Heb. 2. Matth. 1.

*Unio natu-
rarum.*

*Quomodo coniunguntur due
nature in Chri.*

sto?

Unitate personæ, ita ut
proprietas maneant & non
permisceantur aut abolean-
tur. Sicut enim anima &
corpus vnus sunt homo,
personæ unitate coniuncta:
Sic Deus & Homo vnus sunt
Christus: sicut autem ani-
ma & Corpus, quodque
suam naturam & ingenium
retinet, ita in Christo diui-
na & humana natura pro-
prietates suas retinent.

Osten-

PASTORIS. 39

Ostende testimonia utriusque
in Christo, permanentis na-
tura?

Micheæ 5. Rom. 1. Idem
mortalis & æternus.

Estne Humanitas post clarifica-
tionem per glorificationem ab-
sorpta & mutata in Divi-
nitatem?

Non est, dicit enim, vide-
bitis a modo Filium hominis
sedentem in nubibus cœli.
Luc. 24.

Incarnata & passæ est Di-
vina?

In Deum non cadit ali-
quid alterationis, mutatio-
nis, vel infirmitatis. Caro
ergo Christi passæ est, vel
ipse

ipſe Chriſtus ſecundum carnem paſſus eſt. i. Ier. 4. Etenim ille, qui verus Deus eſt, patiebatur iuxta id, qđ pati potuit, idem paſſibilis & impaſſibilis. Idem Deus aſſumpſit carnem. Heb. 2 & non eſt mutatus in carnem.

Quare ergo dicit Apoſtolus, Dominum gloria crucifixum eſſe?

Dominus gloria crucifixus.

Propter communitatem Idiomatum, iuxta quam tribuitur alteri naturæ, quod alterius eſt, propter communicationem Idiomatum & coniunctionem inſeparabilem.

Quid

PASTORIS.

4x

*Quid vero nobis dedit Deus
Pater in Christo?*

*Quid datū
in Filio.*

Omni plenitudinem,
adeo ut simus in ipso com-
pleri, & non necesse sit per-
fectionem salutiferam aliun-
de emendicare. Io. 1. 1. Cor. 1.
Coloss. 1. & 2.

IUSTIFICATIO.

*Expone mihi veram & simplicē
rationem iustificationis ho-
minis peccatoris?*

OMNES sumus corrupti
& peccatores, ideo rei a-
gimur mortis, vel condēna-
tionis coram Dei tribunali.
Hic autē se pro nobis inter-
ponit Dei Filius, Frater no-
ster,

ter, & sanguinem offert
suum innoxium patri iudici
pro nobis, mortem item in-
noxiam, & perfectiss. suam
iustitiam. Iudex autem Deus
propter Christum iam non
imputat nobis peccata ad
mortem, utpote expiata
morte Domini, iustitiam au-
tem Christi imputat nobis.
Itaque & purgati & iusti
reddimur propter Christum
à Deo per gratiam. Cæte-
rum fide vera hæc recipiun-
tur à nobis, ut nostra sint. Fi-
de itaque iustificari dicimur.
Nam fides recipit iustifica-
tionem hanc veram à Deo.
Qui non credunt, iniusti cor-
ram Deo manent.

Quid

*Quis ergo significat vox iustifi-
care.*

Actiue refertur ad Deum,
& est proprium Dei opus,
& significat absoluerè à iudi-
cio, remittere vel nō imputa-
re peccata, imputare autem
iustitiam Christi & habere
pro iusto & hærede vitæ.

*Quid ergo significat Iusti-
ficari?*

Passiue refertur ad homi-
nem fidelem, qui absoluitur
à peccato, vel cum non impu-
tatur peccatum.

Quid Iustificatio?

Ipsam Dei beneficiū remis-
sio

sio nostrorum peccatorum,
receptio in gratiam Dei.

Iustus.

Quis est Iustus?

Qui receptus est in gra-
tiam, cui remissa sunt pecca-
ta, cui imputata Christi iusti-
tia.

*Vbi has habes de his diserta testi-
monia in S. S.*

Rom. 3. & 4. 2. Corinth. 5.
Gal. 3.

*Quomodo autem ostendis solam
fidem, non opera iu-
stificare?*

Illud iustificat, quod à pœ-
na & culpa soluit. Solus Deus
per Christum hoc facit, s. Iesus
ergo iustificat proprie loquē-
do. Quoniam vero nos fide,
non

non operibus hanc Dei gratiam recipimus, ideo fide, non operibus iustificari dicimur. Quod autem fide recipiamus Christum & dona eius, Petrus docet Act. 10. & Paulus Act. 26. Christus ubique in Euangelio requirit fidem. Et Apostolus palam dicit, fide, non operibus nos iustificari, Ephes. 2. & ad Gal.

Nihil ne conferunt opera ad iustificationem, an non etiam ipsa iustificant? *An opera conferant ad iustificationem.*

Non. Nam Apostolus asserit, ne Abrahamum quidem ex operibus esse iustificatum, Rom. 4. Idem aperte dicit, non

non ex operibus. Ephes. 2.
 Idem dicit, si ex lege est iusti-
 tia, Christus gratis est mor-
 tuus. Gal. 2. Nazaraei contra
 Paulum partim fide, partim
 operibus distribuebant iusti-
 tiam. Paulus vendicat meræ
 Dei gratiæ. Act. 15.

*Locus Iaco-
 bi de operib.
 bene.* *Quomodo ergo dixit Iacobus,
 Abrahamum non tantum per
 fidem, sed & per opera
 esse iustifica-
 tum?*

Constat ex diligenti dis-
 cussione Iacobi, per fidem in-
 telligere inanem opinionem,
 non viam veramque fidem,
 deinde per iustificationem,
 iustificationis præcedentem
 per

per opera sequentia declarationem.

Nam fides vera declarat se per bona opera. Oportet ergo prius hominem esse iustificatum, quam iusta opera faciat, præcedit ergo iustificatio gratuita, sequuntur bona opera & iusta. Quibus alicubi per locutionē piis notam, tribuitur salus, non propter ipsa, sed propter fidem & ipsum Christum.

F I D E S.

Quid est Fides?

FIRMVS assensus Verbo *Quid fides.*
Dei, qui iuxta Verbum
Dei per Spiritum Dei animo
nostro

nostro inspiratus omnem veritatem religiose credit, imprimis vero Christū Dei veritatem recipit, in quo viuit, & vita opera profert.

*Vna fides,
sed varia
fidei specie.*

Plures ne an vna tantum fides est?

Vna est dumtaxat vera fides. Sed species fidei recitantur, fides historica, fides miraculorum, fides ficta, vel mortua.

Vnde fides.

Vnde est vera fides?

Non ex hominis viribus, sed ex dono Dei per Spiritum S. per prædicationē verbi Dei & per orationem. Matth. 16. Ioh. 6. Rom. 10.

Apostoli orant, Domine dauge nobis fidem. Luc. 17.

Qua

PASTORIS

49

*Qua est potissima virtus
fidei?*

Virtus fidei.

Viuificare, vel iustificare.

Roma. 1. Iustus ex fide viuit.

Tranquillatã item & placatã

reddere conscientiam. Ro. 5.

Per dilectionem item opera-

ri. Gal. 5. 1. Tim. 1.

EVANGELIUM.

Quid est Euangelium?

*Euāgelium
quid.*

LÆTA toti mundo annũ-
ciatio de salute per Chri-
stum parata: Vel, Est prædi-
catio salubris de remissione
peccatorum, de pœnitentia,
& vita æterna. Testimonia il-
lustrantia & comprobantia
hæc sunt, Marci 16. Luc. 2. 24.
Rom. 1.

C

Quod

*Euangelii
fundamen-
tum.*

*Quod est fundamentum
Euangelij?*

Christus per Prophetas
promissus & in fine sæculi no-
bis exhibitus. Rom. 1.

*Euangelii
finis.*

Quis est finis Euangelij?

Reconciliatio cum Deo &
vita æterna, vt 2. Cor. 5.

*Predicatio
Euangelii.*

*Qui potissimum annunciat Eu-
angelium?*

In nomine Christi remis-
sionē peccatorum credenti-
bus pœnitentiam item & vi-
tam æternam.

*Est ne Euangelium duntaxat in
historia 4. Euangelistarum
comprehensum?*

Non. Sed etiã in Prophe-
tis & Apostolorum literis:
potif.

potissimum vero & euiden-
tissime omnium exponitur
in historia Christi de dictis &
factis eius.

*Est ne hoc verbum quod annun-
ciatur ab homine, verbum
Dei verum?*

*Verbum
annunciatiū
ab homini-
bus an Dei
verbum.*

Est sane. Toties enim repe-
titur à Prophetis; Sic Domi-
nus dicit. Et Paulus 1. Thess.
2. appellat non hominum,
sed Dei verbum, quod fuerat
prædicatum.

*Ergone per illud conuertuntur
homines?*

*An conuer-
tantur ho-
mines per
verbum.*

Non per se quidem. Multi
n. audiunt & nō credūt. Io. 6.

Et est Apostolus ait, Nihil est

C 2 qui

qui rigat vel plantat, sed qui incrementum dat Deus. I. Cor. 3. 10. 6. dicitur de tractu Dei & quod omnes oporteat doceri à Deo.

*Ergo ne parum aut nihil differt
predicatio Euangelij à vulgari
& prophana predica-
tione?*

Permulum. Primo n. scimus esse ipsum verbum Dei. 2. scimus esse organum, per quod plantetur fides. Si ergo in pretio fuerunt Sacra vasa, quanto magis Verbum Dei. I. Cor. 14. 3. Habet item promissionem, quod sine fructu non redeat.

Is. 55.

RE-

REMISSIO PEC-
catorum.

Quis remittit peccata?

SOLVS Deus. Mar. 2. If 43.
Ezech. 36.

*Propter quid remittit
DEVS?*

Propter Christum & san-
guinem eius, vel mortem
Rom. 3:

*Si autem Solus remittit Deus,
quare dicuntur remittere
peccata Apostoli?*

Propter vsum clauium,
Matth. 16. 10. 20.

Quid sunt clauis?

Potestas, vel potius mini-
C 3 sterium

sterium prædicandi Euange-
lii, quo promittitur creden-
tibus vitæ æternæ salus, in-
credulis minatur æterna da-
mnatio.

Remittere ergo vel retine-
re dicuntur peccata ideo,
quia remissa, vel retenta esse
certo annunciant.

Quotuplex est potestas?

1. Absoluta, quam solus
Deus retinet.

2. Limitata ac administra-
ta, quæ & ministris est con-
cessa communis. De hac re
dicitur in dec. d.

*Remittitur cum culpa etiam pœ-
na peccati?*

Remittitur & culpa & pœ-
na.

na. Claret hoc Is. 53. Et Dominus non solum dicit in Evangelio, remittantur tibi peccata tua; Sed insuper à morbis & calamitatibus, quæ poena peccatorum sunt, liberat.

Legatur Matth. 19. cap.

Cur ergo dicitur Davidi, qui au- *Cur puniuntur pii, quibus peccata remissa.*
dierat, Dominus transtulit peccatum tuum, gladius non recedet de domo tua? aut, imponitur miseria Adamo exantlandi, qui ingratiæ erat receptus?

Afflictiones tales remanentes fidei sunt exercitia, non satisfactiones & declarationes quanto opere Deus oderit scelera, velitque, ut agamus poenitentiam.

POENITENTIA.

Quid est pœnitentia?

EST cõuersio ad Deum qua
ex timore Dei humiliati
peccata nostra confitemur,
veteremque mortificantes
hominem, nouam viuimus
vitam, in fide Christi. Act. 3.
Pœnitimini ait Petrus & cõ-
uertimini, vt deleantur pec-
cata vestra.

*Quas posuere quondam par-
tes pœnitentia?*

Illas 3. Contritionem cor-
dis, confessionem oris, & sa-
tisfactionem operis. In qua
re illud in primis vituperan-
dum est, quod modica aut
nulla

nulla fidei facta mentione hi-
sce operibus tribuerunt re-
missionem peccatorum.

*Qui ergo sunt veri fructus &
opera pœnitentiæ?*

Agnitio & deploratio at-
que confessio peccatorum,
mali desertio, & conuersio
ad Deum in fide, studiumque
sanctæ iustitiæ.

Quotuplex est timor?

Duplex. I. Diuinus videli-
cet qui est filiorum Dei; dici-
tur filialis à Theologis, qui
cum amore Dei solliciti sunt,
ne offendant patrem, quem
vnice sibi fauere cupiunt.

Talis fuit timor, in Petro

C 5 & Fi-

& Flioprodigio. 2. Humanus item est timor & mundanus, qui habet horrorem & gignit desperationē fugamque Dei, qualis fuit in Iuda proditore. 2. Cor. 7. Hic dicitur à recentioribus Theologis Seruilis.

Fides necessaria pœnitentibus.

An ergo pœnitentibus fides est necessaria?

In primis. Nisi enim fides in nobis sit in clementiam Dei, unde accessus ad Deum?

Oportet accedentem ad Deum credere. Heb. 11.

An semper remittuntur peccata.

An vero illis etiam remittuntur peccata, quibus semel & iterum sunt antea remissa?

Quo-

Quoties. redit ad Deum:
peccator, toties suscipit i-
psam Dominus. Ergo quoti-
die oramus, Remitte nobis
debita nostra. Et iubet Domi-
nus condonare septuagies
septies. Matth. 18.

*Placet ne
pœnitentia
Deo?*

Placet ne?

pœnitentia

Deo.

Imo Angeli lætantur. Luc.
15. Et adeo placet Deo, ut in-
tentatas pœnas remittat, &
benedictione prosequatur,
ut claret in Prophetis. Ezech.
18. Es. 1.

*Ergo ne meritum est hominis, quo
videlicet per pœnitentiam
promeretur
Deum?*

Meritum.

Est

Est quidem merces boni operis, vt S. S. vbique testatur, sed nullum est meritum. Nā quicquid mercedis accipiūt pii, referunt ad gratiam Dei. Vnde Aug. subinde illud Apostoli inculcat. Quid habes, quod non accepisti? 1. Cor. 4.

Et Dominus Luc. 17. ait, si omnia feceritis, dicite serui inutiles sumus.

*Confessio
quid.*

Quid est confessio?

Ingenua agnitio & confessio corruptionis nostræ, & peccatorum commissorum à nobis ante Dominum.

Requirat ne Deus à peccatore peccatorum remissionem?

Adeo vt nisi confiteamur
pec-

peccata nostra, nullam simus
consecuturi veniam. 1. Io. 1.

Quotuplex est Confessio?

*Confessio-
nis distin-
ctio.*

Divina.

Diuina & humana. Di-
uina, qua vel priuatim Deo
confitemur, & veniam peti-
mus, vt fecit Filius prodigus
& publicanus. Luc. 15. & 18.
Et sicut nos facimus quoti-
die dicentes, Remitte nobis
debita nostra, vel qua pu-
blice in cœtu confitemur
peccata nostra, vt fecerunt
Matth. 3. Act. 19. & nos sole-
mus *mit der offnen Schulde.*
Ad hanc etiam pertinet, qua
confitemur proximo nostro,
cupientes ipsi reconciliari.
Iac. 5.

C 7 *Huma-*

Humana. *Humana confessio, humanitas
scilicet instituta quo-
tuplex est?*

1. Duplex. Pœnitentialis, vel ritualis publica consistens in cinere & sacco & ieiuniis & planctu, actibusque similibus impositis à presbytero, pœnitentiario. Quam Constantinopoli abrogavit Nectarius Episcopus.

2. Auricularis, qua in aurem susurramus Sacerdotis cogitata, dicta & facta, petendo ab ipso priuatam absolutionem & satisfactionem. Præcepta est in Lateranensi Concilio, Ann. 1215. ab Innocentio 3. Cumque humanum sit inuentum, nullo iure

iure imponitur piis. Actor. 15.

*Quid sentis de satisfactio-
ne?*

Christum esse nostram satisfactio-
nem, vel propitiationem, qua corporis sui sacrificio æternam nobis debitam poenam sustulit. Is. 53. 1. Cor. 1. Rom. 3. 1. Ioan. 3. 4. Est autem blasphemum nostris operibus tribuere satisfactio-
nem, ita enim conculcatur sanguis Christi & abiicitur gratia Dei.

Quid sentis de Indulgentiis?

Indulgentia.

Merces esse Romanas extreme

treme blasphemias. Remiserunt eas impostores satisfactiones quas ipsi commentati fuerant, & hominibus imposuerant: eas rursus pecuniis redimi iusserunt, venderuntque sanguinē Christi & merita Sanctorum. Act. 8.

BONA OPERA.

Requirit ne Deus à suis bona opera?

REQVIRIT, dicens: Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant vestra bona opera. Matth. 5. 2. Pet. 1. Iac. 1.

*Necessaria
ne ad salutem.*

*Sunt ne necessaria ad salutem,
ut sine his non contingat
salus?*

Re-

PASTORIS: 65

Regia via hic incedendū,
& currendum, ne ita neces-
saria dicamus ad salutem, vt
per ipsa nos saluari dicamus.
Rursus nedum Christi, vel
gratiæ vel fidei tribuentes sa-
lutem, videamur aspernari,
vel abiicere bona opera. La-
tro Mat. Zachæus sine bonis
operibus recepti sunt in gra-
tiam, postea tamen fecerunt
bona opera.

*Quæ est origo bonorum o-
perum?*

Deus & fides. Phil. 2. Deus
est, qui operatur in nobis vel-
le & perficere Euangelium
quoque ait bona opera oriri
ex fide.

*Origo bono-
rum operū.*

Ad

Regula bonorum operum.

Ad quam regulam fiunt bona opera?

Non ad beneplacitum hominum, sed ad normam fidei & verbi, vel præcepti Domini.

Finis bonorum operum.

In quem finem faciunt pii bona opera?

Non ut aliis & sibi promerentur vitam æternam, neque ut videantur ab hominibus, sed ut glorificetur Deus, ut se Deo gratos & obedientes præstent, sua vocatione dignos se gerant, & proximo inseruiant.

Quomodo nascitur ex fide spes & charitas.

Cum firmiter verbo Dei credimus, nec tamen mox acci-

accipimus credita, per spem
 expectamus Roman. 8. pa-
 tienter. Diligimus item be-
 neficum Deum & proxi-
 mum quem nobis commen-
 davit. Quomodo autem hæc
 tria annectantur & propria
 sua retineant, vide librum
 Bull. de Iustificatione 4. ca-
 pit 8.

*Quæ vero sunt potissimum
 bona opera?*

*Præcipua
 bona opera.*

Quæ Dominus ipse nobis
 exposuit Matth. 6. Eleemo-
 syna vel misericordia, oratio,
 & ieiunium.

*Misericordia ubi plenius
 describitur?*

*Misericor-
 dia.*

Matth. 6. potissimum vero
 25. cap.

Vbi

Vbi oratio?

Ibidem & passim in Pauli
Epistolis.

*Oratio.**Quid est Oratio?*

Supplex animi fidelis ex-
positio, qua à Deo pro Chri-
stum bona nobis dari, vel ma-
la auferri petimus, vel pro da-
tis & oblatis gratias agimus.

*Partes Ora-
tionis.**Quae sunt eius partes?*

Inuocatio, id est, refugium
ad ipsum in quavis necessita-
te: vel petitio & gratiarum a-
ctio, laus. Phil. 4.

*Species.**Quae eius species?*

Priuata, vt cum Petrus in
superiori domus parte orat
Cæsareæ. Act. 10. & de qua
dici-

dicitur Matth. 6. Cum oraueris intra in cubiculū tuum. Publica, quam iubet Apostolus fieri 1. Tim. 2.

Estne necessaria & utilis oratio? *Utilis ne oratio.*

Necessaria & utilissima. Colligere hoc licet ex omnibus omnium Apostolorum literis.

Quis est finis orationis? *Finis orationis.*

Exaudiri à Deo & accipere quæ nobis conducunt, gratias agere & laudare.

Quis orandus & inuocandus est? *Quis inuocandus.*

Solus Deus. Quia solus hic omnia fecit, omnipotens est & v-

& ubique præsens. Nec S.S. alium inuocare docet. Nec Sancti alium, quam Deum inuocant.

Per quem. Per quem vero mediatorens, vel intercessorem inuocandus est?

Per solum Christum 1. Io. 2. 1. Timoth. 3. Ioan. 16.

Quare opus est orantibus. Quare opus est in primis orantibus?

Vera in Deum fide, Rom. 10. quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?

Ore & mente. Est ne satis, si foris oretur ore atque verbis?

Non. Oportet enim & animo orare. Matth. 15. 1. Corinth. 14. Et magis orari voluit

luit sensu, quam verbis.

*Quid iudicas de illis qui non intel-
lecta lingua o-
rant?*

Quod de insanis.

*Qualia vero à Deo sunt pe-
tenda?*

*Qualia pe-
tenda.*

Non indigna Deo, neque
quæ sunt contra eius volun-
tatem aut verbum, sed quæ
ille nos iussit petere. De re-
liquis vide Decades.

*Quis describit officia vite o-
mnium ordi-
num?*

*Officia or-
dinum.*

Prophetæ & Apostoli. In-
primis vero Paulus ad Eph. 4.
5. 6. Colos. 3. & 3. ad Titum 2.
& 3.

DE

DE SACRAMENTIS.

*Sacramen-
tum quid.*

Quid est Sacramentum?

CUM varia sit eius signi-
ficatio, Theologi tamen
sic adumbrarunt. Sacramen-
tum est Sacrae rei signum.
Vel est inuisibilis gratiae visi-
bile signum. Vel est visibile
verbum. Poterat & sic descri-
bi: Est Symbolum, ritus vel
actio Sacra, à Deo instituta,
qua inter nos summa Dei be-
neficia conseruantur, & sub-
inde reparantur, qua item
illa obsignantur, iisque signi-
ficatur palam, quod nobis
praestet Christus, & quod nos
vicissim ei debeamus.

Estne

PASTORIS. 73

Estne unum Sacramentum an
plura?

Alia quidem fuerunt Sa- *Species Sa-*
cramēta veteris populi Dei, *cramenti.*
vt sacrificia, sub quæ refertur
& Pascha & Circumcisio. A-
lia sunt noui populi, vt Ba-
ptismus & Coena Domini.

Habuerunt ne veterum Sacra-
menta hoc ipsum, quod
nostra?

Habuerunt. i. Cor. 10.

Nulla ne differentia est inter Sa- *Differentia*
cramenta veterum & *inter vet &*
nostra. *nostra.*
nostra?

Nostra exhibitum testan-
tur, illustriora sunt & minus
operosa.

D. Quos

*Quot Sa-
cramenta.*

*Quot sunt noui Testamenti Sa-
cramenta?*

2. Baptismus & Coena
Domini.

Suntne plura?

- A Papistæ numerant 7. quæ
tamen promissione & ritu
non sunt ita, vt hæc duo insti-
tuta. Et quidem in iis nu-
merantur res in suo genere
non aspernandæ, vt imposi-
tio manus vel ordinatio mi-
nistrorum, matrimonium,
pœnitentia: Sed Confirma-
tio & vnctio extrema super-
stitiosa sunt.

*Author Sa-
cramento-
rum.*

*Quis est author Sacramen-
torum?*

Deus solus. Homines Sa-
cramenta instituerenon pos-
sunt,

sunt, quia Sacramenta per-
 tinent ad cultum Dei. At
 hominum non est instituere
 vel dictare cultum Dei. De-
 inde Symbola habent anne-
 xas promissiones, requiren-
 tes fidem, at hæc non inniti-
 tur promissioni vel verbo ho-
 minum, sed Dei.

*Quibus rebus constant Sa-
 cramenta?*

*Quibus
 constant.*

I. Signo vel Symbolo &
 re signata. Ut in Bapt. aqua,
 eiusque affusio est signum:
 remissio autem peccatorum,
 purgatio, vel acceptatio in
 populum Dei, est res signifi-
 cata. Panis & vinum in Cœ-
 na Domini, sunt signum:
 D 2 ipsum

ipsum vero corpus Domini
traditum pro nobis & sanguis
effusus est res significata.

*Ut coniun-
guntur si-
gnum & si-
gnatum.* *Quomodo coniunguntur signum
& signatum in Sacramentis,
corporaliter ne?*

Non, sed Sacramentali vel
mystico modo per institutio-
nem & significationem. Nam
ita instituit Dominus Sacra-
mēta, ut qui Symbolum per-
cipit non modo Symbolum,
sed rem quoque Symbolo si-
gnificatam spiritualiter & fi-
de percipiat. Ergo Sacra-
menta significant res spiri-
tuales, non sunt ipsæ res spi-
rituales.

Alioquin enim Sacramen-
ta non essent.

Ergo

Ergo ne ex nostra dignitate pendent Sacramenta, ut videlicet non amplius accipias, quam credas?

An ex dignitate nostra pendent.

Requiritur sane fides à nobis, Paulus enim dicit, probet seipsum Homo, & sic de pane edat. Et qui credit, ipsum Dominum manducat, qui non credit, non percipit Dominum, sed repellit, & ea re sibi iudicium a seiscit. Interim non pendet integritas Sacramenti à nobis, sed ab instituyente, qui tantum offert incredulo, quantum credulo.

Si vero malus sit minister, an minus dat?

Non. Nam Domini est

D 3 mi-

minister. Vnde Dominus in-
dando, non minister spectan-
dus est. Ergo ne bonus qui-
dem plus non dat, quam ma-
lus.

*Qua muta-
tio in Sa-
cramentis.*

*Concedis aliquem mutationem in
Symbolis?*

Sacramentalem & substā-
tialem. Nam ex prophanis
fiunt hic Sacra per verbum
Dei, volente & benedicente
Domino. Vnde iam Symbo-
la nomina accipiunt rerum
signatarum, & non tantum
panis, sed corpus Christi
vocantur, non tantum vi-
num, sed etiam sanguis Chri-
sti.

Quis

*Quis est effectus Sacramentorum,
anne iustificant & gratiam
conferunt?*

*Quis effe-
ctus.*

Per se ipsa, & per, vel pro-
pter opus ipsum nostrum
non conferunt, sed res ipsa
fide accepta confert nobis
gratiam. Reparant autem
beneficia Dei, significant,
suo modo praesentia faciunt,
& officii nostri nos admo-
nent.

*Quis est ille modus praesentia
Sacramentis pro-
prius?*

*Modus pra-
sentia.*

Non corporalis, sed gra-
tia, Spiritus ac fidei. Fides ab-
sentia corpore, Spiritu & ef-
fectu praesentia facit ut cu di-
citur Abraham vidit diem meum,

D 4 &

30 OFFICIUM

& gauisus est. Et ad Gal. Paulus coram quorum oculis Christus crucifixus est. Idem alibi, quamuis carne sim absens, Spiritu tamen sum praesens. Col. 2. Et ad Phil. cū Romæ esset, ait se illos in corde gerere. Quæ sane corporaliter exponi non possunt.

Et quidem remissio peccatorum est in volūtate Dei, vt corpus Christi in cœlo: & tamen idem vere dicitur per fidem habitare in cordibus nostris. Eph. 3.

BAPTISMVS.

A quo institutus.

Baptismus à quo institutus est?

A B ipso Deo, siue Christo, per Ioan. Baptistam & Apo-

Apostolos, Matth. 21. & 28.

*Estne aliquod discrimen inter
Baptismum Ioannis &
Christi?*

*Discrimen
inter Ba-
ptismum
Ioan. &
Christi.*

Utrobique baptizatur a-
qua in nomine Domini ad
pœnitentiam & remissionem
peccatorum. Mar. 1. Act. 2. 19.
Ac Christus in nostro est
Baptismate baptizatus, qui
tamen Ioannis baptismo tin-
ctus legitur.

*Habetne Christus Baptismum
peculiarem?*

*Christi ba-
ptismus.*

Habet Spiritum S. quem
ministorum nemo dat. Act.
1. 2. 8. 19.

Quid est Baptismus?
Sacramentum, quo aqua
D S tin-

*Quid Ba-
ptismus.*

tingimur in nomen Patris & Filii & Spiritus S. ad sanctificationem & obsignationem, quod sint Filii Dei, & agere debeant poenitentiam.

*Baptizari
in nomen
Christi.*

*Quid est baptizari in nomen
Christi?*

Inscribi & recipi in familiam Christi, & iam nomen gerere Christi. Inuocare super aliquo nomen Domini.

*Quis ba-
ptizet.*

Quis dicitur baptizare?

Minister legitime ordinatus : non obstetrix remota ab Ecclesiasticis functionibus 1. Corinth. 14. 1. Timoth. 2.

Quis

Quis debet baptizare.

Qui fidem confitentur, & qui inter fideles deputantur infantes fidelium.

Sed Dominus ait, qui crediderit, & baptizatus fuerit. Infantes autem credere non possunt, ergo non sunt baptizandi.

An infantes baptizandi.

Zandi?

Locus apud Marcum 16. de adultis est intelligendus, & iis, quibus iam de nemo unquam antea audiuit prædicatum Evangelia: Interim inter fideles & credentes Matth. 18. Sed & Dominus conclusit infantes fidelium in foedus æternum, dicens, Ego sum Deus tuus & seminis tui, post te, Genes. 17.

D 6 Sed

*Ab fœdus
Dei abroga-
tum.*

*Sed abrogatum est hoc
fœdus?*

Resp. Non, quod ad sub-
stantiam attinet. Alioquin
Deus nostris liberis minus
esset misericors, quam Iu-
dæorum. Sed cōtrarium do-
cet Dominus, dicens, finite
pueros ad ne venire, Matth.
10. Matth. 18.

*Non intelli-
gunt myste-
rium Ba-
ptismi,*

*Non intelligunt autem Baptismū
mysterium, ergo non sunt ba-
ptizandi?*

Non intelligebāt mysteriū
circumcisionis, & tamen cir-
cumcidebantur. Baptismus,
autem est circumcisio Chri-
sti, in cuius locum subiit. Co-
loss. 2.

COE-

COENA DOMINI.

Quid Coena Domini?

*Quid Coena
Domini.*

SA CR A M E N T V M à Chri-
sto institutum, quo pane
& vino in Sacrum epulum
appositis significat, vel testa-
tur se esse cibum & potum vi-
uificum, qui tradidit corpus
& sanguinem suum in mor-
tem, vt illa manducantes spi-
ritualiter per fidem viuant,
memoresque mortis eius a-
gant gratias, ac pie viuendo
contineant se in vnitate cor-
poris illius mystici.

*An non mutantur panis & vi-
num in substantiam corporis
& sanguinis Christi?*

*An muten-
tur panis
& vinum.*

D 7 Non.

Non. Alioquin enim si
tatum ibi esset corpus ipsum
& nullus panis, non esset Sa-
cramentum integrum, quod
dixi constare signo & re sig-
nificata.

*Cur ergo dixit, hoc est corpus
meum?*

*Hoc est cor-
pus meum.*

Locutio est Sacramentalis.
In Sacramentis autem signa
accipiunt rerum signatarum
nomina, & hoc esse dicun-
tur cuius Symbola sunt. Ex-
emplum in aliis Sacramen-
tis sunt, circumcisio Fœ-
dus dicitur, Pâscha Tran-
situs.

*An nuda
percipian-
tur signa.*

*Ergo ne fidelis nihil aliud perci-
pit, quam nudum si-
gnum?*

Non

Non. Nam ore corpo-
ris percipit Symbolum, ore
animi per fidem ipsum Chri-
sti corpus spiritualiter.

*Quomodo ergo editur corpus
Christi?*

*Vt corpus
Christi eda-
tur.*

Spiritualiter per fidem. Nā
Dominus participat se nobis
per Spiritum S. cibum viui-
ficum, nos ipsum participa-
mus fide. 10.6.

*Quid ergo percipiunt in-
creduli?*

*Quid incre-
duli perci-
piunt.*

Symbolum, non rem signi-
ficatam. Et Paulus ait, qui de
hoc pane indigne ederit, non
dicit, qui de corpore indigne
ederit.

Ergo

*Quomodo
sunt rei
corporis.*

*Ergo si corpus Domini non e-
dunt, quomodo rei sunt corporis
& sanguinis Do-
mini?*

*Quia sine fide accedunt,
& iniuria irrogata Sacramen-
to redundat in ipsum Domi-
num: vt dixit, Saule quid me
persequeris?*

*Quomodo
te prepares.*

*Quid vero ages, ne indigne
accedas?*

*Probet quisq; semetipsum
& sic edat, &c. I. Cor. II.*

*In quo con-
sistit pro-
batio.*

*In quo autem consistit illa
probatio?*

*In eo potissimum, vt in no-
bis ipsis quæramus, num ha-
beamus fidem & inhabitan-
tem*

tem Dominum. 2. Cor. 13.
An denique hanc cibum di-
scernamus ab aliis.

*Estne Cæna Domini Sacri-
ficium?*

Est, quatenus scilicet Eu-
charistia, id est, gratiarum a-
ctio est. Hac ratione ve-
teres appellarunt Sacri-
ficium.

*Offerendane est pro expiatione
peccatorum, viuorum &
mortuorum?*

Non. r. quia dixit, accipi-
te, edite, &c. quod non con-
gruit mortuis.

2. Semel oblatus est Do-
minus, amplius non offer-
tur.

tur. Hebr. 5. 7. 9. 10. 3. Memoria peragetur semel pacti sacrificii in cruce. Nam dicit, hoc facite in mei recordationem.

Missæ.

Quid est ergo Missa?

Peruersio cœnæ Domini. De qua plura in quæstionibus ad dogmata, Nao. Georgii.

ECCLESIA.

Quid Ecclesia.

Quid est Ecclesia?

COEIVS omnium fidelium in vnitate fidei in charitate, & in communionem Sacramentorum.

Quos

Quot sunt Ecclesiae?

Vna duntaxat. Eph. 4. V. *Vna est Ecclesia.*
 num corpus, vnus Spiritus.
 Solet tamen distingui in
 Triumphantem & militan-
 tem, in vniuersalem, vel Ca-
 tholicam & particularem.

Triumphans est eorum,
 qui iam sunt in caelo. *Differentia;*

Militans in terris, adhuc
 in mortali carne repugnat.
 Catholica vel vniuersalis o-
 mnes per vniuersum orbem
 Ecclesias, adde & caelites cō-
 prehendit. Particulares e-
 nim Ecclesiae sparsae sunt per
 orbem, vt Hierosolymitana,
 Antiochena.

*Quae sunt nota vera Ec-
 clesiae?* *Nota Eccle-
 siae.*

A&.

*Nota debet
esse nota h.
e. notior*

*notato An-
tiquitas nō
est notior:*

*quia non o-
mni & soli
Ecclesia cō-
petit, neque
semper.*

*Bonis mali
admixti.*

Act. 2. Perseuerabant in
doctrina Apostolorum, in
concione, in fractione panis
& prædicationibus.

*Suntne mixti mali boni in
Ecclesia?*

Matth. 13. 1. Io. 2.

*Suntne mali ideo vera Ecclesie
membra?*

Non magis quam membra
sunt in corpore humano gib-
bi & strumæ, & proditores
sunt in ciuitate ciues.

Quis est caput Ecclesia?

*Caput Ec-
clesia.*

Christus. Eph. 1. 5. Coloss.
1. Ioan. 3. Papa volens esse
caput Ecclesie, fit Antichri-
stus.

Qualis

P A S T O R I S. 93

Qualis nam est Ecclesiae potestas? *Potestas Ecclesiae*

Limitata & subiecta absolutæ potestati Domini, tantum valens, quantum ipse permittit, & ad ædificationem
2. Cor. 10.

In quibus capitibus consistit? *In quibus sit.*

In ordinandis Ecclesie ministris, in doctrina, & diiudicatione doctrinarum, vel in ligando vel soluendo, in administratione Sacramentorum, & in dispositione rerum Ecclesiasticarum.

Potest ne errare Ecclesia? *Erratne Ecclesia.*

Omnino, si ne peno in-
hæreat

hæreat verbo Domini. Nam Ecclesia Israelitarum, Galatarum, Corinthiorum, &c. erravit.

Quare dicitur Ecclesia columna & basis veritatis?

1. Tim. 3. Quia talis est, quatenus inhæret verbo veritatis ædificata supra Petram & fundamentum Christum.

Petra & fundamentum Ecclesie.

Quæ est Petra, & quod nam est fundamentum Ecclesie?

Christus solus. 1. Cor. 3. 10. 1. Pet. 2. Petrus à Petra dicitur, Petra tamen non est, quia homo peccator fuit, & etiam nunc gratia Dei est, quæ est.

MA-

MAGISTRATUS.

Vnde est magistratus in populo?

Vnde magistratus.

A Deo ordinatus est.

Quare ordinatus est?

Quare institutus.

Vt defendantur boni, coercantur mali. Rom. 13.

Potestne fidelis gerere magistratum?

Fidelis potest gerere magistratum.

Potest, quia potest esse minister Dei. At magistratus minister Dei est. Docent id exempla.

Potestne fontes occidere?

Occidere.

Iure debet occidere. Nam gladium gerit haud frustra. Rom. 13.

Potestne curare res Religionis?

Curare res Religionis.

Imo debet. Deut. 17. Huc faciunt exempla regum san-



Etiss. Davidis, &c. Iser. 45. Reges erunt tri nutritii, loquutus de Ecclesia.

Quid debemus magistratui?

Quid debemus magistratui?

Obedientiam in omnibus æquis & externis rebus, tributum item, amorem, honorem & reuerentiam. Rom. 13. 1. Pet. 2.

Quando non parendum.

Quando vero precipit rem manifeste impiam, quid faciendum?

Iam Deo oportet plus obedire, quam hominibus, Act. 5. Exempla habemus in Daniele & Sociis eius. Vide libellum de Ecclesiæ dogmatibus & quæstionibus.

IV.

IURAMENTVM.

Licet ne iurare magistratui? *Iurare licet.*

LICET. Sicut docetur Ierem. 4.

Cur ergo Christus prohibuit iurare omnino? *Christus quomodo prohibuit.*

Locutus est de temerariis & prophanis iuramentis, adeoque de execrationibus.

Quid est Iusiurandum? *Iusiurandum quid.*

Est religiosa inuocatio Dei & attestatio non prohibita ullis legibus, sed mandata: Nec Dominus in Testamento dicit: Non respondebis testimonium contra proximum tuum, sed non respondebis falsum testimonium.

E CON-

CONIUGIUM.

*Quis instituit Coniugium?***D**OMINVS per semetipsum sine intermedio ministro.*Vbi?*In Paradyso. *Quando?* Ante lapsum, cum homo adhuc esset felix.*Quare?*

Ad bonum & consolationem hominis generisque humani propagationem.

*Estne sanctum ac licitum omnibus hominibus ac sine**peccato?*Prorsus. Heb. 13. 1. Tim. 4.
1. Cor. 7.*Officia coniugum.**Qua sunt coniugum officia?*

De-

PASTORIS. 99

Describuntur ab Aposto-
lis. 1. Pet. 3. Eph. 5.

*Licet ne coniugium dissol-
uere.* *Diuortium.*

Non quidem viliores ob
causam, quam adulterii. Mat
19. 1. Cor. 7.

DE VITA ET MORTE.

*Estne certum fideles hinc per mor-
tem migrantes recta ingredi
in vitam eter-
nam?* *Certa Salus*

CERTISSIMA omnino
Testimonia eius habes
Lucæ 23. Hodie mecum eris
in Paradyso. Id quod Christus
nobis omnibus applicat. Io. 5.

E 2 *Quo*

Sedes infidelium.

Quo ergo deferuntur infideles?

Ad inferos. Manet enim super illos ira Dei. Io. 3.

Estne possibile, ut quidam moriantur non omnino boni, nec omnino mali, non omnino fideles, & tamen non prorsus sine fide, & ideo in seculo alio purgandi?

Scriptura Io. 3. simpliciter dicit, qui credit, saluatur, &c. Io. 13. qui lotus est, mundus est. Rom. 8. Nulla est condemnatio iis, &c.

Et Scriptura non tribuit ulli purgatorio igni in altero seculo mundatione, sed duntaxat in hoc seculo sanguini Christi. Neque passio nostra
tan-

tanta est vt possit rependere gloriam. Rom. 8.

Est ne orandum pro mortuis?

Orandum pro mortuis.

Nullum præceptum, vel exemplum huius habemus in Scriptura. Neque necesse est. Nam credimus post hanc vitam, vitam æternam.

Quid ergo sentis de loco 2. lib. Machab. Salubre est orare

Lib. 2. Mac.

pro mortuis?

Liber non est in Canone.

Interceduntne Sancti cœlites pro nobis, vt horum patrocinia expetenda sint?

Interceduntne Sancti pro nobis.

Cum Christus intercedat

E 3 pro

pro nobis, & vnus & solus
 sufficiat piis, pii non curant a-
 lia patrocina, Christi solius
 contenti sunt. Deinde nemo
 inuocandus est, nisi is, in quē
 creditur. Rom. 10. Oportet
 eum, qui pro vobis in cœlis
 orat, vos nouisse; omnia scire
 & posse. At Sancti tales non
 sunt. Sed & Scriptura de mor-
 tuorum intercessione nihil
 tradit. Nulla extant exem-
 pla eorum, qui expetiuerunt
 patrocina Diuorum.

Resurgent ne mortui?

Resurgēt. Id probat Chri-
 stus Io. 5. & II. I. Corinth. 15.
 Phil. 3.

210

*Quomodo autem possibile est, ut
caro, quæ computruit,
resurgat?*

Omnia Deo possible.
Phil. 3. Modus autem & hi-
storia nostræ resurrectionis
describitur 1. Cor. 15. & 1.
Thess. 4.

*Qualis est vita eter-
na?*

*Vita eter-
na.*


Explicari non potest. 1.
Corinth. 2. Similes illi e-
rimus & videbimus eum,
sicuti est. 1. Iohan. 3. In fi-
ne Apocalypsis multa di-
cuntur.


E 4 Estne


*Est ne vita aeterna nostri
meriti?*


Non: Sed gratiæ Dei. Ro-
man. 6.

F I N I S.









30 5117^o

ULB Halle


3

003 144 682





Sb.

1661



Ser
Ly
Bu
Ra
Me
So
We
Th





^{3.}
PASTOR 2
CONFOR-

MATVS
296

^{AB}
HENRICO BVL.
LINGERO:

IVM BONI PASTORIS
los ponens, vt simul contineat
s Christiana Religionis Ele-
menta.

Productus in lucem

A
N. HENRICO
ALSTEDIO.

PROSTAT
Antonium Hummium
Francofurt.

M. DC. XIIII

179
B. S. 562